

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[Ad Pammachium Et Oceonum]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA.

C **Q**uarentes igitur.) Prouerbiū retulit, incitare currentem, hoc est, ultro promptum adhortari, addidit autem de suo bellissimā metaphoram. **Qui scorpionibus cedit.)** Locus est Regū libro. 3. cap. 12. **Ab alijs laceffitus.)** Hic locus ferebat corruptus. Opinor ita legēdū. Ab alijs laceffitus, ad me currit: aduersarijs parcens, ledens nō ledentē. **Et Onesimū legerit.)** Hunc Paulus miro studio cōmendat Philemoni. **Sycophantam.)** Id est, calumniatorem. Sic em probro uocabatur Athenis, qui quibilibet de rebus alios in ius uocabant. **Aedilem fieri an consulem.)** Inuit ipsum Iohannem e sycophanta factum episcopum, id em intelligi uult per consulem, cū ille sit adilis, qui est infimus magistratus, hoc est clericus. Agit enim de illo, quem e seruo clericū factum dicebat. **Per Antiphrasin.)** Quod *περὶ ἀντιφράσεως* Græcis dicatur senior.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Ex hac præfatione ingens natum est incendiū inter Hieronymum & Ruffinum, quod figurata laude, uideretur id agere, ut Hieronymum pertrahat in factionem Origenistarum.

PRAEFATIO RVFFINI IN LIBROS ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ ORIGENIS.

Scio quæ plurimos fratrum scientiæ scripturarū desyderio prouocatos, poposcisse ab aliquantis eruditis uiris, & Græcarū litterarū peritis, ut Origenem, Romanū facerent, & latinis auribus eum donarent. In quod etiam frater & collega noster ab episcopo Damaso deprecatus, cū Homilias duas de Cantico canticorū in latinū transtulisset ex Græco: ita in illo opere ornatè magnificeque præfatus est: ut cuius legēdi Origenē, & auidissime perquirendi desyderiū cōmoueret: dicens illius animæ cōuenire quod dictum est: Intrauxit me rex in cubiculum suum: asserens eum, quod cū in cæteris libris oēs uincat, in Canticis canticorū etiā ipse se uicerit. Pollicetur sane in ipsa præfatione, se & ipsos in Canticis canticorū libris: & alios quæ plurimos Origenis Romanis auribus largiturū. Sed ille (ut uideo) in stilo proprio placens: rem maioris gloriæ sequitur: ut pater uerbi sit potius, quæ interpret. Nos ergo rem ab illo quidē ceptam sequimur & probatā: sed nō æquis æloquentiæ uiribus, tātū uiri ornare possumus dicta. Vnde uereor, ne uitio meo id accidat: ut uir quē ille alterum post apostolos ecclesiæ doctore scientiæ ac sapientiæ merito cōprobauit: inopia sermonis nostri longe esse inferior uideatur. Quod ego sæpe consyderans reticebā, nec deprecantibus me frequenter in hoc opus fratribus annuebam. Sed tua uis fidelissime frater Macari, tanta est, cui obistere ne imperitia quidem potest: propter quod ne te ultra tam grauem paterer exactorem, etiā contra propositum meū cessi: ea tamen lege atque ordine, ut quantū fieri potest, interpretando sequar regulā præcessorū. Et eius præcipue uiri, cuius superius fecimus mentionē: qui cum ultra septuaginta libellos Origenis: quos Homilios appellauit, aliquantos etiā de Tomis in Apostolū scriptis transtulisset in latinum: in quibus cum aliquanta offendicula inueniantur in Græco: ita elimauit omnia interpretando atque purgauit: ut nihil in illis quod a fide nostra discrepet, latinus lector inueniat. Hunc ergo etiam nos, licet non æloquentiæ uiribus, disciplinæ tamen regulis in quantum possumus sequimur, obseruantes scilicet, ne ea quæ in libris Origenis a seipso discrepantia inueniuntur atque cōtraria, proferamus. Cuius diuersitatis causam plenius tibi in Apologetico, quē Pamphilus pro libris ipsius Origenis scripsit edidimus, breuissimo libello superaddito: in quo euidentibus ut arbitror probamentis corruptos esse in quæ plurimis ab hæreticis & maliuolis libros eius ostendimus: & istos præcipue, quos nunc exigis ut interpreter: id est *περὶ ἀρχῶν*, quod de principijs uel de principatibus dici potest, qui sunt reuera alias & obscurissimi & difficillimi. De rebus em ibi talibus disputat: in quibus philosophi omni sua ætate consumpta nihil inuenire potuerunt. Hic uero noster quantū potuit id egit, ut creatoris fidem & creatarum rerum rationem: quæ illi ad impietate traxerunt, ad pietatem ipse cōuerteret. Sic ubi ergo nos in libris eius aliquid cōtra id inuenim⁹: quod ab eo cæteris locis fideliter pie de trinitate fuerat definitū: ueluti adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter inuenimus affirmatā. Si qua sane, uelut peritis iam & scientibus loquēs, dum breuiter trāsire uult, obscurius protulit: nos ut manifestior fieret locus: ea quæ de ipsa re in alijs eius libris apertius legeramus adiecimus, explanationi studentes, nihil tamē nostrū diximus. Sed licet in alijs locis, dicta sua tamē sibi reddidimus. Hoc aut idcirco in præfatione cōmonui: ne forte calumniatores iterū se criminandi putarent inuenisse materiā. Sed uiderint ipsi, quid peruersi & cōtentiosi hoies

*Quo Hiero. laudauit
uerit Origine*

*Transtulit Hieronius
multa ex Origine*

A tiosi homines agāt. Nobis interim tantus labor, si tamē orantibus uobis deus annuerit, idcirco susceptus est: nō ut calumniatorū ora (quod fieri nō potest, licet forte etiā hoc deus faciet) clauderemus: sed ut proficere ad scientiam rerū uolentibus, materiā prāberemus. Illud sane omnē qui hos libros uel descripturus est, uel lecturus, in cōspectu dei patris & filij & spiritus sancti cōtestor: atq; conuenio per futuri regni fidē, per resurrectionis ex mortuis sacramentū, per illū q̄ prāparatus est diabolo & angelis suis aternū ignē, si nō illū locū aterna hāreditate possideat: ubi est fletus & stridor dentiū: & ubi ignis eorū nō exstinguetur, & uermis eorū nō morietur: ne quis addat aliquid huic scripturæ, ne auferat, ne inserat, ne immutet: sed conferat cū exemplari/ bus unde scripserit, & emendet ad litterā & distinguat, & in emendatū uel non distinctū codicē nō habeat: ne sensuū difficultas si distinct⁹ codex nō sit, maiores obscuritates legentib⁹ generet,

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Pammachius & Oceanus extimulant Hieronymū, ut a calumnijs Ruffini, & hominum suspitionibus se purget, & ostendat se ab Origenistarum errore alienum.

PAMMACHIUS ET OCEANVS. HIERONYMO

S Anctus aliquis ex fratribus schedulas ad nos cuiusdā detulit, quæ Origenis uolu/ men quod *ἡ ἀρχαία* inscribitur in latinū sermonē uersum tenerent. Et quoniā in his multa sunt quæ tenuitatem nostri ingenij permouent: quæq; minus catholice dicta existimamus: suspicamur etiā ad excusationē authoris multa de libris eius esse sub/ tracta, quæ apertam impietate eiusdē monstrare potuissent: quæsumus prāstantiā tuam: ut & hoc specialiter, non tam nobis q̄; uniuerſis qui in urbe habitant, profuturū opus, digneris im/ pendere: ut supra dictū librū Origenis quēadmodū ab ipso authore aditus est ad fidem, tuo sermone manifestes: & quæ a defensore eius interpolata sunt prodas. Et quæ etiā in his schedu/ lis quas ad sanctitatē tuam direximus, uel cōtra catholicā regulā uel imperite adita sunt, redar/ guas atq; conuincas. Sane subtiliter in prāfatione operis sui mentionē tacito nomine tuæ san/ ctitatis expressit: qd' a te pmissum opus ipse cōplerit: illud oblique agēs, etiā te simili ratioe sen/ tire. Purga ergo suspitiones hoīm, & cōvince criminatē: ne si dissimulaueris, cōsentire uidearis.

B

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Exponit quo animo legerit & amarit & laudarit Origenem, quē ab omnibus legi cupiat, si fieri possit absq; periculo pietatis: & amulorum calumnias refellit, ac suspitiones hominum diluit. Coactusq; prodit errores Origenis, quos frustra conabant defendere, qui suā hāresim illius prātextu defendere studebāt.

HIERO. PAMMACHIO ET OCEANO

S Chedulae quas misistis, honorifica me affecere contumelia: sic ingeniū p̄dicantes, ut fidei tollerent ueritatē. Et quia eadē & Alexandriæ & Romæ audierā, & in toto pene orbe boni homines sup meo nomine iactare cōsueuerūt: & tātū me diligūt, ut sine me hāretici esse non possint: omittā personas, rebus tantū & criminibus re/ spondebo. Neq; em̄ causā prodest maledicentibus remaledicere: & aduersarios talione morde/ re, cui prācipitur malum pro malo non reddere, sed uincere in bono malū, saturari opprobrijs: & alteram uerberanti prābere maxillam. Obijciunt mihi, quare Origenem aliquando lauda/ uerim. Ni fallor duo loca sunt, in quibus eū laudaui: prāfatiuncula ad Damasum in Homilijs Cantici canticorū, & prologus in librū Hebraicorū nominū. Quid ibi de dogmatibus ecclesiæ dicitur: Quid de patre & filio & spiritu sancto: Quid de carnis resurrectione: Quid de animæ statu atq; substantia: Simplex interpretatio atq; doctrina, simplici uoce laudata est. Nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehensum est. Moralis tantū tractat locus: & allegoriæ nu/ bilum, serena expositione discutitur. Laudaui interpretem, non dogmatistē: ingenium, nō fidē: philosophum, non apostolum. Quod si uolunt super Origene meū scire iudicium: legant in Ec/ clesiasten cōmentarios: replicent in epistolam ad Ephesios tria uolumina: & intelligent me sem/ per eius dogmatibus contraisse. Quæ em̄ stulticia est: sic alicuius laudare doctrinā, ut sequaris & blasphemiam: Et beatus Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut eius scripta probant: cū q; eruditi & ardentis uiri delectetur ingenio, Montanū cum eo Maximillāq; non sequitur. For/ tissimos libros contra Porphyriū scribit Appollinaris. Ecclesiasticā pulchre Eusebius historiam rexuit: alter eorum dimidiatam Christi introduxit œconomiam, alter impietatis Arrii apertissi/

PP 2 mus ppugnator

Ubi laudauit Origenem

*Non reprehendi sunt libri
eruditiorum propter unum aut
alterum errorem in ipsis
contentu*

C mus propugnator est. Væ (inquit Esaias) qui dicunt bonum malum, & malum bonum: & qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec bonis aduersariorum (si honestum quid habuerint) detrahendum est, nec amicorum laudanda sunt vitia: & unumquodque non personarum, sed rerum pondere iudicandum est. Mordeus & Lucilius, quod incompotito currat pede: & tamen sales eius leposque laudant. Dū essem iuuenis, miro discendi ferebar ardore: nec iuxta quorundam presumptionem, ipse me docui. Apollinariū Laodiceum audiui Antiochiæ frequenter, & colui: & cū me in sanctis scripturis erudiret, nūquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi. Iam canis spargebat caput, & magistrum potius, quam discipulum decebat. Perrexi tamē Alexandriā, audiui Didymum: in multis ei gratias ago. Quod nesciui didici: quod sciebam, illo docente non perdi. Putabant me homines finem fecisse discendi. Veni rursus Hierosolymā & Bethlehē. Quo labore, quo precio Barabam nocturnum habui præceptorē? Timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum. Horum omnium frequenter in opusculis meis facio mentionem. Certe Apollinarii & Didymi inter se dogma contrarium est. Rapiat me ergo utraque turma diuersum aliters: quia magistrum utrumque confiteor. Si expedit odisse homines, & gentē aliquā detestari, miro odio auerfor circūcisos. Vsq; hodie enim persequuntur dñm nostrum Iesum Christum in synagogis Satana. Obijciat mihi quispiam: cur hominē Iudæum habuerim præceptorē. Et audet quidā proferre litteras meas ad Didymum, quasi ad magistrum. Grande crimen discipuli, si hominē eruditū & senem magistrum dixerim. Et tamen uolo inspicere ipsam epistolam, quæ tanto tempore in calumniā reſeruata est. Nihil præter honorē & salutationē continet. Inepta sunt hæc & friuola. Arguite potius ubi hæresim defenderim, ubi prauū Origenis dogma laudauerim. In lectione Esaiæ, in qua duo Seraphim clamantia describuntur: illo interpretante filium & spiritum sanctum, nonne ego detestandā expositionē in duo testamēta mutauī? Habeſ liber in manibus, ante uiginti annos æditus. Tot opuscula mea, & maxime cōmentarij, iuxta oportunitatem locorum gentileſ sectam lacerant. Quod autem opponunt cōgregaſſe me libros illius, super cūctos homines: utinam omnium tractatorum haberem uolumina: ut tarditatē ingenij, lectionis diligentia compensarem. Congregaui libros eius fateor. Et ideo errores non sequor, quia scio uniuersa quæ scripsit. Credite experto, quasi Christianus Christianis loquor. Venenata sunt illius dogmata, aliena a scripturis sanctis, uim scripturis facientia. Legi inquit, legi Origenē. Et si in legendo crimen est, fateor: & nostrum marsupium, Alexandrinæ chartæ euacuauerunt. Si mihi creditis, Origenistes nūquam fui. Si non creditis, nunc esse cessauī. Quod si nec sic adducimini ad fidem, cōpellitis me ad defensionē mei, contra amasium uestrum scribere: ut si non creditis neganti, credatis saltē accusanti. Sed libentius mihi erranti creditur, quam correcto. Nec mirum, putant enim me suū esse *συμμύκτης*: & propter animales & luteos nolle palam dogmata confiteri. Ipsorum enim decretum est, non facile margaritas ante porcos esse mittendas, nec dandum sanctum canibus: & cum Dauid dicere: Abscondi in corde meo æloquia tua, ut non peccem tibi. Et in alio loco super iusto: Qui loquitur (inquit) ueritatem cū proximo suo, id est, cū his qui domestici fidei sunt. Ex quo uolunt intelligi, nos qui necdum initiati sumus, debere audire mendacium: ne paruuli atque lactentes, solidioris cibi edulio suffocemur. Quod autē periuriorum atque mendacij inter se orgijs foederentur: sextus Stromatum liber (in quo ex Platonis sententia nostrum dogma componit) planissime docet. Quid igitur faciam? Negē me eiusdē dogmatis esse? Non credent. Iurem? Ridebunt, & dicent: domi nobis ista nascuntur. Faciam (quod solū cauent) ut sacra eorum atque mysteria in publicum proferam, & omnis prudentia eorum qua nos simplices ludunt, in propatulo sit: & qui neganti uoci non credunt, credant saltem arguenti stilo. Hoc enim uel maxime cauent, ne quando contra authorē suū eorum scripta teneantur. Facile dicunt cū iuramento, quod postea alio soluant periurio. Ad subscriptiōnē tergiuersantur, quæruntque suffugia. Alius, non possum (inquit) damnare, quod nemo damnauit. Alius, nihil super hoc a patribus statutum est: ut dum totius orbis prouocatur autoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam Cōstantius: quomodo (inquit) damnabimus, quos synodus Nicēna non tetigit? Quæ enim damnauit Arrium, damnasset utique & Origenem, si illius dogmata reprobaſſet. Scilicet uno medicamine omnes simul morbos debere curare. Et idcirco spiritus sancti neganda maiestas est: quia in illa synodo super substantia eius silentium fuit. De

Arrio

Quos magistros
habuerit Arrium?

Detestanda Origenis
expositio si in Hiero

Cur eius libros
congregauerit

Arrius in synodo Nicēna
damnatus: consequenter
Origenes fons Arriani
dogmatis

Dogmata
Origenis
venenata
assensu

A Arrio tunc, non de Origene quæstio fuit: de filio, non de spiritu sancto. Confessi sunt quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quærebat. Quæ tamen latenter Origenem fontem Arrii percusserunt. Damnantes enim eos qui filium de patris negant esse substantia: illum pariter Arriumque damnauerunt. Alioqui hoc argumento, nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia synodus Nicena eos non nominat, quos certe ante synodum fuisse non dubium est. Quod si quando urgeri ceperint, & aut subscribendum eis fuerit, aut exeundum de ecclesia, miras strophas uideas. Sic uerba temperant, sic ordinem uertunt, & ambigua quæque concinnant: ut & nostram & aduersariorum confessionem teneant: ut aliter hæreticus, aliter catholicus audiat, quasi non eodem spiritu & Apollo delphicus atque Loxias oracula fuderit. Cresco & Pyrrho diuersis temporibus, sed pari illudens strophæ. Exempli causa pauca subiiciam. Credimus, inquiunt, resurrectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt celestia & terrestria: & aer iste & aura tenuis, iuxta naturam suam, corpora nominant: corpus ponunt non carnem, ut orthodoxus corpus audiens, carnem putet: hæreticus spiritum recognoscat. Hæc est eorum prima decipula, quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos, & innocentiam simulant, & maliciosos nos uocant: & quasi simpliciter credentes aiunt. Credimus resurrectionem carnis. Hoc uero cum dixerint, uulgus indoctum putat sibi sufficere, maxime quia id ipsum & in symbolo creditur. Interroges ultra, circuli strepitus commouetur, fautores clamitant: Audisti resurrectionem carnis. Quid quæris amplius? Et in peruersum studiis commutatis, nos sycophantæ, illi simplices appellantur. Quod si obduraueris frontem & urgere ceperis, carnem digitis tenens, an ipsam dicant resurrectionem, quæ cernitur, quæ tangitur, quæ incedit, & loquitur: primo rident, deinde anuunt: Dicentibusque nobis, utrum capillos & dentes, pectus & uentre, manus & pedes, cæterosque artus ex integro resurrectio exhibeat: tunc uero risu se tenere non possunt, cachinnoque ora soluentes, tonfores nobis necessarios & placentas & medicos ac sutores ingerunt. Vltroque interrogant, utrum credamus & genitalia utriusque sexus resurgere, nostras genas hirtas, foeminarum leues fore: & habitudinem corporis pro maris ac foeminae distinctione diuersam. Quod si dederimus, statim expetunt uulua & coitum: & cætera quæ in uentre sunt, & sub uentre. Singula membra negant: & corpus quod constat ex membris, dicunt non resurgere. Non est huius temporis contra dogma peruersum, rhetoricum iactare sermonem. Non mihi diues Ciceronis lingua sufficiat: non feruens Demosthenis oratio, animi mei possit implere feruorem: si uelim hæreticorum fraudulentias prode-
B re, qui uerbotenue resurrectionem fatentes, animo negant. Solent enim mulierculæ eorum, mammas tenere, uentri applaudere, lumbos & foemora & putres attrectare axillas, & dicere: Quid nobis prodest resurrectio, si fragile corpus resurget? Et futura angelorum similes, habebimus & naturam? Dedignantur uidelicet cum carne & ossibus resurgere, cum quibus resurrexit & Christus. Sed fac me errasse in adolescentia, & philosophorum, id est gentiliū studiis eruditum, in principio fidei dogmata ignorasse Christiana: & hoc putasse in apostolis, quod in Pythagora & Platone & Empedocle legeram. Cur paruuli in Christo atque lactentis errorem sequimini? Cur ab eo impietatem discitis, qui necdum pietatem nouerat? Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitamini & correctum. Errauimus iuuenes, emendemur senes. Iungamus gemitus, lachrymas copulemus, ploremus, & conuertamur ad dominum qui fecit nos: non expectemus diaboli poenitentiam. Vana est illa præsumptio, & in gehennam trahens profundum. Hic autem queritur uita, aut amittitur. Si Origenem nunc quæ secutus sum, frustra infamare me queritis. Si discipulus eius fui, imitamini poenitentem. Credidistis confitenti, credite & neganti. Si ista ut ais (inquit) noueras: cur eum laudasti in opusculis tuis? Et hodie laudarem, nisi uos eius laudaretis errores. Non mihi displiceret ingenium, nisi quibusdam eius placeret impietas. Et Apostolus præcipit: omnia legentes, quæ bona sunt retinentes. Lactantius in libris suis & maxime in epistolis ad Demetrianum, spiritus sancti negat substantiam: & errore Iudaico dicit eum uel ad patrem referri uel ad filium: & sanctificationem utriusque personæ sub eius nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum eius libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? Apollinarius contra Porphyrium egregia scripsit uolumina.

PP 3 Probo

*Lactantius de spiritu sancto præbens errantem
 iuxta præteritam institutionem opus non spernendum*

*Fallunt hæretici tales
 simpliciter omnes ubi de
 futura carnis resurrectione
 interrogantur*

*imitandus correctus
 potius quam errans*

*Laudant Origenem
 ingenium*

*Origens erroris veniat qd forte
impostores sibi impuauerunt*

AD PAMMACHIVM ET OCEANVM

Apollinaris C

Probo laborem uiri, licet fatuum in plarifq; dogma cōtemnam. Cōfitemini & uos in quibusdā errare Origenem, & mihi ultra nō faciam. Dicite cum male sensisse de filio, peius de spiritu sancto, animarum de cōlo ruinas impie protulisse, resurrectionem carnis uerbo tantum confiteri: ceterum assertionem destruere: & post multa sēcula atq; unam omnium restitutionē: id ipsum fore Gabrielem quod diabolum, Paulum quod Caiphā, uirgines, quod prostibulas. Cum hæc reieceritis, & quasi censoria uirgula separaueritis a fide ecclēsiæ, tuto legam cetera: nec uenena iam timebo cum antidotum præbitero. Non mihi nocebit si dixerō: Origenes cum in ceteris libris omnes uicerit, in Cantico canticorum ipse se uicit. Nec formidabo sententiam qua illum doctorem ecclēsiarū quondā adolescentulus nominauit: nisi forte accusare debui, cuius rogatus opuscula transferebam: & dicere in prologo: Hic cuius interpretor libros hæreticus est. Caue lector, ne legas, fuge uiperā. Aut si legere uolueris, scito a malis hominibus & hæreticis corrupta esse quæ transtuli, q̄q̄ timere non debeas. Ego enim omnia quæ uitiata fuerunt correxi. Hoc est alijs uerbis dicere, ego qui interpretor catholicus sum, hic quē interpretor hæreticus est. Deniq; & uos satis simpliciter & ingenuē, & non maliciose, parui scilicet pendentes præcepta rhetorica: & præstigias oratoris, dum libros eius *περί ἀρχῶν, σωματέας & τόμους* hæreticos confitemini, & in alios crimen trāsferre uultis, iniecitis legentibus scrupulum: ut totam authoris uitam discuterēt: & ex ceteris libris eius, coniecturā præsentis facerent quæstionis. Ego callidus qui emendauit, silens quod uolui, & dissimulans crimina, non feci inuidiā criminoso. Aiunt & medici grandes morbos non esse curandos, sed dimittendos naturæ, ne medela languorē exasperet. Centū quinquaginta anni prope sunt, ex quo Origenes mortuus est Tyri. Quis latinorū ausus est unq; transferre libros eius, de resurrectione, *περί ἀρχῶν, σωματέας & τόμους*. Quis per infame opus seipsum uoluit infamari? Nec disertiores sumus Hilario, nec fidiōres Victorino, qui eius tractatus, non ut interpretes, sed ut authores proprii operis transtulerunt. Nuper sanctus Ambrosius sic Hexameron illius compilauit: ut magis Hippolyti sententias Basilijq; sequeretur. Ego ipse, cuius amulatores esse uos dicitis, & ad ceteros, talpæ, caprear; in me oculos possidetis, si malo animo fuisset erga Origenem, interpretatus essem hos ipsos quos supradixi libros, ut mala eius etiam latinis nota facerem. Sed nunc feci, & multis rogantibus acquiescere nolui. Non em̄ consueui eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Ipse si adhuc uiueret Origenes, irasceretur uobis fautoribus suis: & cum Iacob diceret, odiosum me fecistis in mundo. Vult aliquis laudare Origenem? Laudet ut laudo, Magnus uir ab infantia, & uere martyris filius, Alexandria ecclēsiasticā scholam tenuit: succedens eruditissimo uiro Clementi presbytero. Voluptates intantum fugit, ut zelo dei, sed tamen non secundū scientiam, ferro truncaret genitalia. Calcauit auariciam, scripturas memoriter tenuit. Et in studio explanationis earū, diebus desudauit ac noctibus. Mille & eo amplius tractatus quos in ecclēsia locutus est ædidi. Innumerabiles præterea cōmentarios, quos ipse appellat *τόμους*: & quos nunc prætereo, ne uidear operum eius indicem texere. Quis nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit? Quis ardentem in scripturis animū nō miratur? Quod si quis Iudas zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat libere. Interdum magnus dormitat Homerus. Verum operi longo fas est obrepere somnū. Non imitemur eius uitia, cuius uirtutes non possumus sequi. Errauerunt in fide alij tam Græci q̄ latini, quorum nō necesse est proferre nomina, ne uideamur eum non sui merito, sed aliorū errore defendere. Hoc non est iniquies excusare Origenem, sed accusare ceteros. Pulchre, si eum errasse non dicerem, si in fidei prauitate saltem apostolum Paulum uel angelum de cōlo audiendum crederem. Nūc uero cum simpliciter errorem eius fatear, sic legam ut ceteros, quia sic errauit ut ceteri. Sed dicas, si multorum cōmunis est error, cur solum persequimini? Quia uos solū laudatis, ut apostolum. Tolle amoris *ὑπερεὐλογίω*, & nos tollimus odij magnitudinē. Ceterorum uitia de libris suis ad hoc tantū excerpitis: ut huius defēdatis errorem. Origenē sic fertis in cōlū: ut nihil eū errasse dicatis. Quisq; es assertor nouorū dogmatū, quæso te, ut parcas Romanis aurib;: parcas fidei, quæ apostoli uoce laudata est. Cur post quadringētos ānos docere nos niteris, qd' ante nesciuimus? Cur p̄fers in mediū, qd' Petrus & Paulus ædere noluerūt? Vsq; ad hūc diē sine ista doctrina mū-

*Origens centi & 30.
L. omnes an Hiero. fuit*

*Origens laus
p. Hieronim*

A dus Christianus fuit. Illā senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Pelusiotas nos appellāt, & luteos anialesq; & carneos, quod nō recipiamus ea quæ spiritus sunt: illi scilicet Hierosolymitæ, quorū mater in cœlo est. Nō contēno carnē, in qua Christus natus est, & resurrexit: non despicio lutum quod excoctum in testam purissimam regnat in cœlo. Et tamen miror, cur carnī detrahētes uiuant carnaliter, & inimicam suam foueant, & nutriant delicate: nisi forte implere uolūt scripturam dicentem: Amate inimicos uestros, benefacite his qui persequuntur uos. Amo carnē castam, uirginem, ieiunantem: amo carnis non opera, sed substantiam. Amo carnem, quæ iudicandam se esse nouit. Amo illā, quæ p Christo in martyrio cædit, laniatur, exurit. Illud uero quod asserūt a quibusdā hæreticis & maluiolis hominibus libros eius esse uiolatos, q̄ ineptū sit, hinc pbari potest. Quis prudentior, doctior, eloquētiior, Eusebio & Didymo assertoribus Origenis inueniri potest? Quorum alter sex uoluminibus τῆς ἀπολογίας, ita eum ut se sensisse confirmat: alter sic eius errores nititur excusare, ut tamen illius esse fateatur: non scriptum negans, sed sensum scribentis ædifferens. Aliud est si quæ ab hæreticis addita sunt, Didymus quasi bene dicta defendat. Solus inuentus est Origenes cuius scripta in toto orbe falsarent: & quasi ad Mithridatis litteras, omnis ueritas uno die de uoluminibus illius raderetur. Si unus uiolatus est liber, num uniuersa eius opera, quæ diuersis & locis & temporibus ædedit, simul corrūpi potuerunt? Ipse Origenes in epistola quā scribit ad Fabianum Romanæ urbis episcopum, pœnitentiam agit cur talia scripserit: & causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto ædita in publicum protulerit: & quid adhuc αἰτιαλογέσιν aliena esse quæ displicent? Porro quod Pamphilum proferunt laudatorem eius: gratias illis ago meo nomine, quod dignū me putauerunt, quem cum martyre calumniarentur. Si em̄ ab inimicis Origenis libros eius dicitis esse uiolatos, ut infamarentur: quare mihi non liceat dicere ab amicis eius & sectatoribus compositū esse sub nomine Pamphili uolumen, quod illum testimonio martyris ab infamia uindicaret? Ecce uos emendatis in Origenis libris, quod ille non scripsit: & miramini, si ædat aliquis librum, quē ille non ædedit? Vos in ædito opere potestis coargui: ille qui nihil aliud ædedit, facilius patet calumnia. **B** Date quodlibet aliud opus Pamphili, nusq; reperietis. Hoc unum est. Vnde igitur sciam, quod Pamphili sit? Videlicet stilus & salua docere me poterit. Nūq; credam, quod doctus uir primos ingenij sui fructus quæstionibus & infamiae dedicarit, & ipsum nomē Apologetici ostēdit accusationem. Non em̄ defenditur, nisi quod in crimine est. Vnum nunc proferam cui contradicere uel stulti sit, uel impudentis. Sexti libri Eusebij super Origenis defensione principiū usq; ad mille ferme uersus liber iste q Pamphili dicitur, continet. Et in reliqs scriptor eiusdē operis profert testimonia, quibus nititur approbare Origenem fuisse catholicum. Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam: ut unius animæ homines putes, & ab uno alter nomen acceperit. Quomodo igitur inter se dissentire potuerūt: ut Eusebius in toto opere suo Origenem Arriani probet dogmatis, & Pamphilus Nicenæ synodi quæ fuit postea, defensor est? Ex quo ostenditur uel Didymi uel cuiuslibet alterius esse opusculū, qui sexti libri capite detruncato, cætera membra sociarit. Sed concedamus ex superfluo, ut Pamphili sit, sed necdū martyris. Ante enim scripsit q̄ martyriū perpeteretur. Et quomodo (inquies) martyrio dignus fuit? Scilicet ut martyrio deleter errorem: ut unam culpam, sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe martyres anteq; cæderentur, uarijs subiacuere peccatis? Defendamus ergo peccata, quia qui postea martyres, prius peccatores fuerunt. Hæc fratres amantissimi ad epistolam uestram celeri sermone dictaui, uincens propositum, ut contra eum scriberem, cuius ingenium ante laudaueram, malens existimatione periclitari, q̄ fide. Hoc mihi præstiterunt amici mei, ut si tacuero, rous: si respondero, inimicus iudicer. Dura utraq; cōditio. Sed e duobus eligam, quod leuius est: simultas redintegrari potest, blasphemia ueniam nō meretur. Quid autem laboris in libris transsferendis περι ἀρχῶν sustinuerim, uestro iudicio derelinquo: dum & mutare quippiam de Græco non est uertentis, sed euertentis: & eadem ad uerbum exprimere, nequa q̄ eius, qui seruare uelit æloquij uenustatem,

*Con hoc scribit Hiero.
q̄ quidā uiolatos putat
libros Origenis p maluiolis*